

« mitis, mundus et misericors foret; quas virtutes « quanto plus quisque in seipso habet, tanto pro- « pius est Deo, et majorem sui conditoris gerit « similitudinem. » Hoc est bonum semen quod se- « minavit Deus in agro suo. Sed homo cum in honore « esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similitus factus est illis, per peccatum; unde S. Bonaventura, *Solit.*, 1, dicit: « Erat templum Dei, « sponsa Christi, sacrarium Spiritus Sancti: quæ « est ista subita conversio et repentina mutatio? « De Dei Virgine facta est corruptio Satane; de « Sponsa Christi, scortum execrabile diaboli. » *Inimicus homo hoc fecit; ipse supereminavit zizaniam in medio tritici.*

**b.** — Interrogatio servorum, ait S. Paschasius, *lib. VII in Matth.*, plena est admirationis, plena stupore et pavore. Quomodo scilicet in bono agro, bono semine repleto, inventa sunt zizaniam? Quid enim de bono semine, nisi quam optimus fructus enasci et exoriri debebat? Non enim potest arbor bona malos fructus facere. Hoc igitur supramodum damnabile est, non tam in seminato semine, quam seminis hujus figurato, hominibus scilicet ingratis, ut advertit Salviauus, *lib. IV de Gubern.* « Imo hoc « magis, » dicit, « culpabiles sumus, si legem bonam « colimus et mali cullores sumus; ac per hoc accu- « satrix nostri est lex ipsa, quam colimus. » Lex etenim christiana peccata dedocet, quæ dum mali- « tiose, a Christianis perpetrantur, nullam excusationem merentur, sed ex eo aggravantur. In principio prophetie Isaie, cælum pariter et terram, ad porrigendas sibi aures, Deus invitat dicens: *Audite, celi, et auribus percipe, terra: Filios enutrivit et excolavit, ipsi autem spreverunt me; lamentatur Dominus de Jerusalem, civitate sancta, quod cum haecenus ipsissimum veræ fidei centrum fuisset, postea tamen meretrix facta fuerit, id est, infidelis, liberum idolatriæ prebendo aditum. Porro licet Judæi rei fuerint, gravique supplicio digni, attamen juxta proportionem luminis quod nos Christiani habemus et gratiarum, gravitas culparum nostrarum supra malitiam Judæorum notabiliter exerescit.*

« Quo plus doctrine aditum, eo magis sub- « bunt supplicium, » dicit Chrysostomus, in *Psal. vi.*

**c.** — Contemplare, queso, quid magnus ille paterfamilias in agro seminaverit, humane nature: et videbis non nisi ab illo triticum electum seminum: animam immortalem: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, Gen., xi, 7, virtutes: Vestivit illum virtute. Eccle., xvii, 2.* Gratiam ac rectitudinem: *Peccit hominem rectum. Eccle., vii, 30.* Quid igitur causæ est quod agrum tot zizaniam sordidum ingeamus, infirmitatibus, doloribus, febrilibus, podagris, etc., ipsamque hanc visibilem terram talia lolia proferentem, aridam, sterilem, unde annonæ caritas et fames? *Inimicus homo hoc fecit.* Et quomodo? Seminando peccatum quod est semen unde

cuncta mala enascuntur, infirmitates et miserie, calamitatesque publicæ et private. Hæc enim peccatorum nostrorum fructus et penæ sunt, ut expendit S. Hieronymus, super illa Domini verba, apud Ezechielem, v, 16: « *Quando misero sagittis famis pessimas, dicens: « Famen et pestilentiam, « et bestias pessimas, et quicquid aliud malorum « sustinemus in sæculo, propter nostra peccata ve- « nire manifestum est. »* Prosequitur S. Basilius, *Hom. in divites*: « Fames, siccitates et inundationes « communes quædam sunt civitatum ac gentium « plage, hominum peccata immo dicuntur puni- « tes. » Idem sanctissimus Doctor, in *cap. ix Isa.*, dicit iterum: « Nemo se anxio labore torqueat in « inquirendis causis afflictionum et molestiarum; « puta quam ob causam squalebat siccitate; cur vis « imbrium, aut redundantia pluvie celo delaba- « tur; ut quid plena terra fulmina; qua ex « causa ex aere grandines. Nostri causa hæc inve- « huntur, qui retinemus cor impenitens. » Hujusce veritatis evidentissimum habemus in Deuteronomio, xviii, 15, testimonium, siquidem Deus per Moysen, populo suo protestatus est, dicens: « *Si au- « dire volueris vocem Domini Dei tui, ut custodias et facias omnia mandata ejus, venient super te omnes « maledictiones istæ, et apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictus horrum tuum, et maledicta reliquia tua. Maledictus fructus ventris tui, et fructus terræ tuæ, armenta bo- « tuorum, et greges ovium tuarum. Mittet Dominus super te famem et esuriam, etc.*

**d.** — Servi patrisfamilias, Angeli Dei ignorant penitus quomodo in bono agro, optimo semine repleto inventa sint zizaniam; unde concludit S. Paschasius: « Idcirco cessat humana præsumptio; cesset « hæreticorum pravitas, quæ in divino judicio, et « præscientia Dei temere aliquid definire vel susur- « rare presunt, cum et ipsi Angeli pie interro- « gando, se ignorare videntur quo judicio conti- « gerit. » Cum igitur videris hominem ad imaginem Dei factum, aberrare, vel aliquem in apice Ecclesiastico constitutum cadere, vel etiam in optimo observantiæ claustrum, jacto bono regulari disciplina semine, zizaniam pestiferam herbam pullulare; noli aliquid temere judicare, sed humiliter lotum altissimæ Dei providentiæ submitte. Judicare enim male de aliis, zizaniam quædam est, quam dæmon seminat et nutrit.

**e.** — Omnino de hoc utique seminato agro idem dici potest, quod Isaia, v, 4, sub metaphora vineæ de populo suo ait: *Quid est quod ultra debui fecere vineæ meæ, et non feci ei? Elemin divina omnipotentia et beneficentia, benigniores super solum istud influentias demittere non potuit. Unde S. Apostolus, ad Romanos, vii, 32, postquam considerasset, quod Deus in hunc agrum pretiosissimum Filii sui semen commiserit, siquidem, semen est verbum Dei, mox*

subjungit: Quomodo non etiam omnia cum illo nobis donavit? Verumtamen ecce tibi hujus admirationis causam: *Unde ergo habet zizaniam? O rem dignam ob quam ipsinet quoque Angeli cælestes merito obstupescant! Quod videlicet, cum tam specialia dona gratiarum et auxiliorum, pro salute nostra comparanda acceperimus, intra nos tamen informale lolum, et zizaniam succrescere poterint. Sed causa hæc esse videtur, quam insinuat Evangelicus Propheta, dicens: *Desolatio desolata est terra, quia nemo est, qui recogitat corde. Jerem., xii, 11.* Ecce tibi semen Redemptionis nostræ est sanguis Christi effusus, semen pretiosissimum; sed hoc non obstante, crescit zizaniam, quia nemo est qui illud pretium digna penset meditatione. Christi enim pro nobis passi devota consideratio nos ab hoc lolo, id est, a peccatis præservat. Origenes, in *cap. vi ad Rom.*, dicit: « Certum est, quia ubi mors « Christi animo circumfertur, non potest regnare « peccatum: est enim tanta vis crucis Christi, ut si « illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, « nulla libido superare possit, sed continuo ad ejus « presentiam lotus ille peccati et carnis fugatur « exercitus. » S. Bernardus, in *formula vitæ honestæ*, efficacem ad honestatem cooperandi modum docere nos volens, inquit: « Deus meus pendet in patibulo, « et ego voluptati operam dabo? »*

## VERSUS 28.

*Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit; servi autem dixerunt ei: vis, imus et colligimus ea?*

*Et ait illis: Inimicus, etc.*

**1.** — Tametsi malignus hic damnificator sibi, se latere et absconditum manere posse persuaserit, eo quod nocturno tempore et quando omnes somno sepulti erant, malum semen istud seminaverit, nihilominus hunc in modum Chrysologus, *Serm. xcvi*, adversus ipsum jure exclamat: « Inimice, lucis re- « fuga, vigilasti, laborasti, sed non latuisti; nam « dormientibus servis, Dominus ipse te videt. »

**2.** — Porro cælestis agricola in regno suo, id est, in Ecclesia sua, bonum semen seminare, id est, regno huic de multis electis, virisque sanctitate morum, doctrina et sapientia insignibus providere nunquam destitit, nec desistet; at vero inimicus infernalis, ut scribit in *Concor. Evang.*, cap. lii, Jan- « senius: « Infelicissimus hostis humane salutis, « passim etiam supereminat, supereminabitque « impios homines, velut zizaniam ubique eos justis « permiscens, » idque ut bonum semen suffocet; at vero ut S. Petrus olim promissum fuit: *Porte inferi non prævalent.*

*Inimicus homo hoc fecit.*

**3.** — Mirum profecto est, cur sapientissimus Ma-

gister noster Christus demoneo hominis titulo insigniverit: *Inimicus homo hoc fecit;* et ideo multæ eaque diversæ illius nomenclaturæ sunt expositio- nes. Albertus Magnus, *ibid.*, dicit: « Dicitur inimi- « cus homo hoc facere, quia diabolus non facit, « nisi in homine et cum homine. » Etenim sive zizaniam illa sit maledictio, detractio, vel odii, invidia, adulationis, vel homicidii, vel alterius cu- juscumque vitii, semper illa, homine mediane se- minat, dum tortuosus ille serpens nostris se appeti- « tibus et affectibus inordinatis insinuat. Unde S. Ja- « colus Apostolus de maledictis hæc zizaniam ita scribit: *Utile bella et lites in vobis? nonne hæc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris ves- « tris? Salmeron nomen istud ponderans scribit: « Dum tentat, in affectus humanos se transformat, « ut melius possit decipere, » et subjungit, Davi- « dem de hoc venenoso serpente loqui intendisse, dum hæc a Deo gratiam, *Psal. cxxxix, 1,* poposcit: *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me;* et pariter, *Psal. ix, 20,* quando petiit: *Eurge, Domine, non confortetur homo.* Id quod diu ante similiter opinatus est S. Hieronymus.*

**4.** — Idem quoque Auctor aliam rationem adducit, cur demoneo lolum inter triticum seminans, in personato hominis habitu, in Evangelio proponatur; dicit enim: « Nam si in propria specie « veniret, quisque sibi ab eo tanquam ab hoste ca- « pituli careret, propterea tranfiguratus venit in « Angelum ejus. »

**5.** — Hugo Cardinalis existimat, *ibid.*, quod, sicut generales belli duces, nomina sibi ab iis nationibus, quas subjugarunt, usurpant, ad eum modum, quo Scipio ab Africa debellata, appellatur Africanus; ita quoque Diabolus appellatur *inimicus homo*, ob hominem, quo cum præliatus fuerat, devictum: « Dicitur homo ab homine devictus, sicut « Scipio Africanus ab Africa devicta. » Quod idem Albertus Magnus pariter dicit: « Inimicus homo « dicitur, quia devicit hominem. »

**6.** — Dionysius Carthusianus, *ibid.*, dicit: « Di- « citur homo, non propter veritatem nature, sed « similitudinem culpæ; dicuntur homines mali se- « minati vel esse ex dæmone, non creatione, sed « parvitas imitatione. » In quo sensu Salvator noster de Juda dixit: *Unus ex vobis diabolus est.*

**7.** — S. Hieronymus citatus ab Hugone Card., hominis nomen, dæmoni attribui existimat: « Quia « sub similitudine rationis humane decipit. »

**8.** — Addi quoque potest, diabolum hominem, a Christo appellari ad ejus, contra genus huma- num, rabiem et crudelitatem tanto vicacius expri- mendam, siquidem nulla dari potest crudelitas sævior illa, quam homo iratus adversus alium hominem exercet; unde tritum est adagium: « Homo « homini lupus. » Et Deus se ad miserandum et indulgendum pronum esse, volens ostendere per

Oseam, xi, 9, dicit: *Non faciam furorem irae meae, non convertit ut disperdam Ephraim, quoniam Deus ego et non homo.*

*Servi autem dixerunt ei.*

9. — Euthymius, in *Matth.*, ait: « Servos suos, qui haec dicant, effingit orthodoxos, qui ferventem erga cultum suum gerunt zelum, qui frequenter admirantur cum indignatione, quod Deus zizania nasci permittat. » Lyranus, *ibid.*, nihilominus per servos, sanctos Patres interpretatur, qui orationibus suis mediantibus, ab oraculo Dei poposcerunt consilium.

*Vis, imus et colligimus ea?*

10. — Jansenius nobis unum zelantium servorum illorum, in persona Jeremiae, xii, 1, proponit, dicentem: *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquitur ad te; quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui pravariantur et inique agunt? Plantasti eos et radicem miserunt, proficiunt et fructum faciunt.* At vero postquam illorum in hac vita felicitatem ostendisset, paulo post, illorum finem quoque, illiusque qualitatem declarat, quam habere solent, qui similes est illi quem zizania habent, quae in fasciculum colligata in ignem conjiciuntur, subiungit enim: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, sic enim animalia illa, quae paulo post mactanda et sacrificanda sunt, a iugo liberata in pascuis ad satietatem usque incurrant et impingui videntur.*

11. — Salmeron per hosce servos illos intelligit, qui in vindicandis Deo illatis injuriis, ferventes se et zelosos probant: « Subito vellent ultionem de sodicis et vindictam de haereticis sumere. » Adducitque duorum Apostolorum Jacobi et Joannis exemplum, qui insultum, Magistro suo a Samaritanis intentatum videntes, ad eosdem igne consumendos, ad ignem de coelo evocandum promptos se obtulerunt: at vero mox mansuetissimum Salvatorem nostrum audiverunt, id prohibentem, *Luc.*, ix, 55: *Nescitis cujus spiritus estis.* Lyranus verborum illorum sensum, eundem in modum exponit: « *Vis, imus et colligimus ea?* id est, separando eos a communione Ecclesiae per excommunicationem et tandem dimittendo justitiae saeculari externos nandos per mortem. »

12. — Notandum quoque est, quod servi isti zizania haec, sine consilio et licentia Domini sui et patrisfamilias, eradicare non praesumpserint, ad instruendum Principes saeculares et omnes alios, ne se sine consilio et permissione supremi Pastoris et capitis Ecclesiae, in materia religionis et dogmatum fidei ingerant, reos, absque ulla cum hoc facta communicatione, aut habito consilio, puniendo et processando.

13. — Porro commendandus est servorum illorum

zelus, qui tametsi a patrefamilias approbatus non fuerit, is tamen operae pretium fore existavit, illos certiores reddere de motivo, ob quod zizania illa nondum eradicata esse vellet; ad insinuandam Praelatis et superioribus doctrinam quandam salutarem, quod tametsi superioribus aliquando non teneantur subditis suis rationem reddere resolutionum suarum, nihilominus casus nonnunquam occurrere possit, in quo id fieri expediat, ne scandalizentur.

#### Additiones.

a. — *Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit, etc.* Tam alto somno omnes servi tenebantur oppressi, quando inimicus in agrum adventavit, ut nullus ejus adventum deprehenderit. Solus Dominus cognovit ipsum supereminasse zizania, ac tantum malum intulisse. Pulchre S. Chrysologus: « Inimice, lucis refuga, laborasti sed non latuisti; nam dormientibus servis, ipse te vidit. Verum quidem est quod totius familiae oculis summus altus oppresserat, et vehementer periculi occasio universae rei imminabat. Sed Dominus, esto dormire videretur, tamen ipse, ut optimus pastor, non dormiebat, sed maxime invigilabat, cuncta videns et observans pro custodiendo agro suo. Siquidem tunc maxime Deus suo adest auxilio, quando tribulationibus pressi, omni humano destituti sumus auxilio. Regius Propheta, *Psal.* xxxiii, 19, 20, dicit: *Justa est Dominus vis qui tribulatio sunt corde; et humiles spiritu salvabit. Multae tribulationes iustorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus, etc.* Unde extat doctrina S. Paulini, *Epis.* xxviii: « Ab initio saeculorum Christus in omnibus suis patitur; ipse enim est initium et finis, qui in Lege velatur, in Evangelio revelatur. Mirabilis semper et patiens, et triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus a fratre, in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moysae expositus et fugatus. » Conclusio, quam inde elicit, est: « Exultemus igitur et gloriamur in ipso, qui nos et pugnam et victoriam suam fecit, indicens: *Constantes estote quia ego vici mundum.* »

b. — Verum enimvero, non modice admirandum venit, quod cum Dominus sit praesens et viderit inimicum supereminantem, non prohibuerit aut ejecerit ab agro suo, ut electa grana, sine tam iniqua permissione, illaesa servata fuissent. Quod et miratur S. Chrysostomus, *Hom.* xvi, dicens: « Et tu, quare hoc cum videres, Domine, permisisti? Quare? Quia timere fraudes non potest, cui nihil potest deperire, et quia majus est reparare perditam, quam illaesa reservare. Simul quia oportet zizania esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. Non prohibet inimicum, ut ostendatur vis divina omnipotentiae et altitudo scientiae Dei, quae ma-

gis resplendet in perditis reparandis quam in integris rebus servandis. Melius enim judicavit de malis benefacere quam mala nulla esse permittere. » Quod tunc facit, cum malitiam demonis, damnis nostris inhiant, ejusque tentationes, in bonum nostrum ordinat et in nostram convertit salutem.

c. — Albertus Magnus dicit hic: « Dicitur inimicus homo hoc facere, quia diabolus non facit, nisi in homine et cum homine, dum tortuosus ille serpens nostris appetitibus et affectibus inordinatis sese insinuat. Dionysius Carthusianus in hunc locum scribit: « Dicitur homo, non propter veritatem naturae, sed similitudinem culpae. Dicitur mali seminare, vel esse demones, non creatione, sed pravitalis imitatione. » In quo sensu Salvator noster de Juda dixit: *Unus ex vobis diabolus est.* Multae quoque diversae ejusdem nomenclaturae sunt expositiones, sed praeter ceteris hoc nobis hic servit, quod non incongrue dici possit diabolus hominem a Christo appellari, ad ejus contra genus humanum, rabiem et crudelitatem exprimentam; siquidem nulla dari potest crudelitas saevior illa, quam homo iratus adversum alium hominem exercet. Unde tritum est adagium: « Homo homini lupus. » Sic neque saevior est tyrannis, major est furia ea quam diabolus contra hominem exercet, maxime illo in momento, quando jam illum e manibus suis eripendum esse timet, prout fit in agone mortis. Unde S. Antoninus ait: « Quia novit se plus temporis non habere ad tentandum, ideo plus acuit malitiam suam ad decipiendum, vel ad desperationem, vel per infidelitatem, vel per taciturnitatem alicujus peccati. » S. Bernardus addit: « O quantum tremor, o quantum horror; quantum stupor, quando ab infelici anima conspiciuntur demones preparati ad escam! » Ac proinde Psalmista, *Psal.* xvi, 13, suadet ut in illo articulo caeleste imploremus auxilium: *Ecce, Domine, praeveni eum et supplantata eum; eripe animam meam ab impio.*

d. — Servi qui dixerunt: *Domine, vis imus et colligimus ea*, Angeli dici possunt, qui ita parati sunt et prompti ad obediendum, ut semper quasi signa et nutus Dei, quibus pareant, expectent.

Circa haec verba Psalmi cii, 20: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum ejus, ad audiendum vocem sermonum ejus*, Agellius scribit: « Vix audiverunt vocem divini praeccepti, statim faciunt verbum ejus, ut quamvis divini Verbi praecceptum antecedit, tamen tanta illorum in exequendo velocitas et intentio est, ut nescias pene quid prius sit, vox sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas. »

Item jam servos illos dixi denotare Angelos; cur autem placuit illos servis hisce assimilare? Servos dixi Angelos, quia non obstante eorum dignitate,

licentiam quasi extorquent a Deo subveniendi tritico, ne per admixta zizania corrumpatur. Apostolus quondam dicebat: *Charitas Christi urget nos. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Angeli quoque ab ardentissima qua erga nos flagrant charitate extimulati, nobis inservere, nosque associari, et tantquam fideles et obsequiosos ministri, in hac miserrima valle, minime dedignantur.* Unde S. Thomas de Villanova ait: « Propter nos inservit nobis; miserantur enim sortem nostram, videntes periculum nostrum et laborem vitae nostrae, quia conspiciunt nos in magno discrimine positos, in medio scilicet inter gloriam et gehennam, quibus aut perpetuo regnandum est, aut arduendum; et tanto discrimine obnoxios, omni similitudine curant in bonam partem deflectere. » S. Augustinus, in libro *de diligendo Deo*, iii, de amore divino tractans, ad ministerium angelicum, ad nostrum commodum procurandum a Deo deputatum, considerandum descendit, variaeque adducit motiva, quibus beati illi spiritus ad ministrandum nobis extimulantur: « De excelso colorum habitaculo, ad consolandos, visitandos et adjuvandos nos, attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos et propter seipsum. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos pietatis viscera, ipsi quoque, ut dignum est imitantur; propter nos, in quibus nimirum, propriam similitudinem admirantur; propter seipsum, quorum ordinem instaurandos ex nobis, toto desiderio praestolantur. »

#### VERSUS 29.

*Et ait: Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.*

*Et ait: Non.*

1. — Sicut chirurgus aliquis expertus, ad membrum aliquod a corpore detruendum se non resolvit praecipitanti et indeliberate, nisi quando membrum corruptum irreparabile reliquo corpori sane damnum inferre, vel totius corporis vitae nocere cognoscit. Eodem modo caelestis noster Protomedicus, qui de semetipso ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, ad detruendum impiis vitam, se non praecipitanti resolvit, sed ad tempus aliquod eosdem tolerat, quoadvis scilicet notabile electis suis damnum non inferunt: *Expectat Dominus, ut miserentur.* Nonnunquam etenim e zizaniis, progressu temporis, bonum aliquod et salutarem semen progeminare solet. De Thare Abraham natus est et Job ex progenie Esau; unde longanimitas et patientia Dei hoc solum intendit, ut impii ad emendationem reducantur et poenitentiam se recipiant, vel etiam ad justitiam suam justificandam, tardat immittere promeritum supplicium, ut tempus eis concedat ad se convertendum; vel denique

quia cum illos puniturus deinceps sit in aeternum, ideo eis concedit, ut hic temporaliter in hac vita aliquantulum gaudere possint : *Ducunt in bonis dies suos, siquidem ad inferna descendunt. Job., xxi, 13.*

2. — Glossa, *ibid.*, dicit : « Ecce patientia, non enim audit dolo exarsit in iram, nec mox ulcisci » voluit; » unde ad spirituales profectum nostrum promovendum, illud pro nobis elicit documentum, estque verus venerabilis Bedae discursus, in *Matth.* : « Ita et nos laesi patienter feramus. » Enimvero ignem quidem de caelo, ad comburendum zizania evocare potuisset et tamen licet ad supplicium et vindictam justam de illis sumendam, provocatus esset, summa cum mansuetudine negative respondit : « Non. » *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Quod si Deus omnia peccata punire vellet, major pars generis humani peritura esset; siquidem : Totus mundus in maligno positus; omnes declinaverunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

*Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.*

3. — S. Paschasius, *lib. VII, in Matth.*, 1, hanc responsionem textui Apostoli, dicentis : *Auferite malum ex vobis, non opponi, neque monitum hae Patrifamilias prohibitioni contrarium esse ostendit, redditque rationem dicens* : « Aliud est, de manibus festis apertisque criminibus judicare in Ecclesia, aliud de his, quae adhuc quasi in herba latent; nam zizania, quod nos lolium esse dicimus, antequam in cumulum veniant, dum in herba sunt, quanta similitudo est in eis, ut discerni vix, aut nunquam possint. » Hanc pariter rationem S. Thomas, in *Matth.*, adducit, dum ait : « *Aliqui videntur mali et non sunt, ideo si velles eradicare malos, statim multos bonos extirpares.* » Præterquam quod impii, qui haeresi, aut hypocrisis infecti sunt, in externa apparentia, potius triticum, quam lolium esse videntur. « Id certe moris est apud hereticos, » inquit Chrysostomus, *Hom. XLVII, in Matth.*, « ut occultent seipsum, atque obumbrant in principis quousque majorem fiduciam capiunt. »

4. — In hac quoque prohibitionem, utilis quaedam doctrina nobis traditur, nimirum quod in delictis oculis, non sit faciendum iudicium, aut sententia proferenda, nisi prius merita et demerita accuratè dilucidentur. Unde Anselmus dicit : « Donavit nobis exemplum discretionis, » et Hugo Cardinalis ait : « Ecce discretio; prohibetur hic festinata, damnosa, suspiciosa eradicatio; festinata, quia prius debet corrigi; » at vero quando zizania in omnium oculis manifeste prosiant, id est, quando culpa deducta est in iudicium, tunc formandus est processus, neque ad privatos familie alienigeni servos supplicium malis inferre pertinet, sed ad ministros publicos; id quod etiam Salmeron advertit, dum

ait : « Verba ergo Christi ad servos Patrifamilias directa sunt, qui privata auctoritate et zelo volebant insurgere, ad zizania de medio tollenda, qui nec potestate laica, nec ecclesiastica praediti sunt. »

5. — Advertit insuper S. Thomas, in *Matth.*, quod saepenumero dissimulare expedit, ne major ignis accendatur, saepe enim fit, quod, dum zizania conflagrare et in cineres redigere volumus, flamma persecutionis triticum quoque nonnquam invadat. « Aliquis, quandoque est magne potestatis, ideo si excludatur, trahit multos secum et sic cum illo malo multi pereunt. » *Apocalyp., xii, 4* : *Draco traxit tertiam partem stellarum. Genes., xvii, 25* : *Absit a te ut hanc rem facias et occidas justum cum impio.* Eandem quoque considerationem Hugo Cardinalis affert, dum ait : « Aliquando tolerandi sunt mali pro pace Ecclesiae. »

6. — S. Anselmus, *ibid.*, ex hisce verbis occasionem capit insinuandi nobis quantum nobis semper timendum sit in maxime arduo negotio nostrae salutis. « In quo docent, non ita hominem constitutum in hac vita, ut certus esse possit, qualis quisque postea futurus sit. Quod hodie est zizania, » inquit Chrysologus, *Serm. xvi, 1*, « eras in triticum vertebatur, qui ad praesens peccator certatur, in futurum justus assisit; » idemque etiam a contrario dici potest, siquidem multi, qui antea triticum erant, postea in zizania transmutantur; de omnibus Apostolis, inter quos etiam Judas aderat, Christus ait : *Ecce Satanas expetivit, ut eribraret vos sicut triticum, et tamen paulo post, Judas factus est maledictum zizanium.*

7. — S. Hieronymus, in *Matth.*, super haec verba dicit : « Datur locus poenitentiae et monemur, ne cito amputemus fratrem, quia fieri potest, ut ille, qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras respiciat et defendere incipiat veritatem. » Si S. Augustinus, dum adhuc haereticus et haeresicos acerrimus defensor erat, velut lolium et zizanium ab hoc mundo exterminatus fuisset, Ecclesia in ejus conversione validum adversus eandem haereticum flagellum et propugnaculum habitura non fuisset. Et ut Chrysologus, *Serm. xvii, 1*, ait : « Si zizaniis non Dei patientia subveniret, nec Mattheum de publicano Evangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum Ecclesia possideret. » S. Paschasius idem prorsus scribens, de S. Mattheo subjungit : « Cujus hoc Evangelium est, » De S. Paulo scribit Rupertus Abbas Tuitiensis, « Ubi projectus est in terram Saulus, surrexit Paulus. » Citatur quoque paulo ante Chrysologus, dicit : « Ananias eradicare triticum tunc querebat, quando ad Saulum missus, de Paulo talia quærebatur : *Domine, quanta mala fecit sanctis tuis, hoc est : eradica zizania; quid ad lupum ovis? »* At vero idem Chrysologus de Anania dicit, ipsum non ha-

buisse oculos ad discernendum, qualis Paulus erat, postquam : « *Apertis oculis nihil videbat* : Cum Ananias videret Saulum, Paulum Dominus tunc videbat; cum Ananias persecutorem diceret, tunc Dominus predicatorem sciebat; et cum ille em zizania judicaret inferni, Christus cum vas electionis, triticum in caelesti horreo jam ponebat. » Bricius, ut in vita S. Martini legitur, supra modum scandalosus fuit, eoque progressus est malitia, ut huic sancto Praelato multis insultibus molestus fuerit et tamen idem Sanctus futurum ei praedixit, quod sibi in episcopali sede successurus, atque sanctitate insignis futurus esset. Magnus ille Dei servus Camillus de Lellis, Romae ab hospitali incurabili dimissus et ejeclus fuit, eo quod infirmos dure et indiscrete tractasset; at vero ad idem hospitale de novo receptus et emendatus, ad talem christianarum virtutum perfectionem pervenit, ut hodie processus instituantur ipso ejus canonizatione; imo charitas erga infirmos adeo in ipso postea adaucta fuit, ut religionem suam cum voto iisdem inserviendi instituerit, eique nomen religionis Patrum ministrantium infirmis attribuerit. Porro qualis Guillelmus dux Aquitaniae fuerit, ei qui vitam S. Bernardi legerit, satis utique perspicuum esse poterit, ut ingentem, quam Deus in ipso mutationem fecit, summe admirari possit. Origenes de Raab loquens, dicit : « Vides, siquidem illa, quae aliquando erat meretrix et impia et immunda, nunc Spiritu Sancto repleta est, propheta et praenuntiat de futuris. » Illa enim, quae antea idololatra erat, postea per vinculum conjugale, eundam se primariae Israelis tribui adstrinxit, postquam tamen prius per veram religionem se cum vero Deo Israelis tenacissime conjunxisset.

8. — Divinam quoque omnipotentiam et assistentiam considerare hoc loco possumus, quae frumentum in medio zizaniorum illaesum et intactum conservare novit ad eum modum, quo in infamis illius civitatis incendio efficere potuit, ne servus Loth arderet, non solum quoad poenam, sed etiam quoad culpam. Sic quoque S. Athanasium et tot alios invictos fidei Athletas, ab omnibus antiqui adversarii machinis defendit et protexit.

9. — Glossa, *ibid.*, dicit : « Vel necesse est, ut mali permixti sint bonis, per quos exerceantur, » vel quorum comparatione niantur ad melius, quibus sublati altitudo charitatis marcescit, quod est eradicari. Ibi patienter tolerandi sunt mali, « ubi aliqui inveniuntur, quibus adjuventur boni. » S. Thomas illum S. Pauli textum, *I Cor., xi, 19*, adducit, dicentis : *Oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et subdit idem Angelicus Doctor, quod nisi in agro religionis catholice simul quoad haec zizania succrevissent, nos hodie tot eruditos calamos et libros, vel S. Augustini, vel tot aliorum Doctorum et Theologo-

rum adversum haereses dimicantium, minime habituri essemus. Unde tandem hanc deducit conclusionem : « Qui vellet malos eradicare, eradicaret et multa bona. »

#### Additiones.

a. — *Et ait : non ; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.* Mirum est quod Dominus prohibeat auferri zizania; et ratio difficultatis consurgit ex illis Apostoli, *I Cor., v, 13*, verbis : *Auferite malum ex vobis ipsis*; hoc est, ut explicat S. Augustinus, « ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam discipline. » Sic difficultatem pulchre solvit S. Paschasius, *lib. VII in Matth.* : « Non dico, » ait, « ut contradicam illud Apostoli : *Auferite malum ex vobis*; quod contrarium huic loco sonare videtur; sed alud est de manifestis apertisque criminibus judicare in Ecclesia, aliud de his quae adhuc quasi in herba latent. Nam zizania, quod lolium esse dicimus, antequam in culmen veniant, tanta similitudo in eis est, ut discerni vix aut nunquam possint, et hinc Dominus ait : *Sinite utraque crescere usque ad messem.* » Apostolus, citato loco agit de publicis, quorum scelera sunt omnibus nota; Christus vero similitudine zizaniae, quae in herba vix differt a tritico, non de manifestis, sed de ambiguis et occultis pertractat, in quibus judicandis facie potest errari. Postquam S. Paulus, *I Cor., iv*, protestatus fuisset, nihil se facere iudicia, quae de ipso faciebant homines, cum Deus ejus futurus esset iudex, mox Corinthiis insinuat, ne nimium in iudicando praecipites sint, et dicit : *Nocte ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* In hac autem tenebrarum caligine, quae obumbrat mentes nostras, quae ad discernendas intentiones et fines internos operantium pertingere nequeunt, nihil est facilius quam quod iudicando decipiatur. Dominus dicit, *I Reg., xvi, 2* : *Nec juxta intuitu hominis ego iudico; homo enim videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor.*

b. — Observandum est servos qui malam herbam eradicandi postulant licentiam, non fuisse agricolas qui agrum illum excoluerant, quique proinde germinis tam boni quam mali aliquam habere potuissent notitiam et discretionem, sed homines agriculturæ parum peritos, qui facile errare potuissent, et loco lolii evellere frumentum. Quandi in hac vita moramur, fines et intentiones occultas operantium penetrare non possumus, nisi forte dono prophetiae et discretionis spirituum a Deo donati simus, sicut multis sanctis id contigisse constat. Optime igitur monet S. Laurentius Justinianus, inquiens : « Ubi opus ambiguum est, et quo fiat animo, ignoratur, delinunt iudicium evitant-

« dum est, ne efficiatur homo temerarie sententiæ  
« reus, dum quod rectum est arbitratur esse obli-  
« quum. » Ecclesiasticus, xix, 4, dicit: *Qui credit cito, levis corde est.*

« Pius certe Dominus longanimitatem suam  
quæ peccatores expectat ad penitentiam, hic nobis  
indica, qui cum omni hora suas sibi irrogatas  
possit abolere aut punire injurias, tamen immenso  
suo beneficio penas removet et differt. Ac proinde  
David adulterii, et homicidii a se commissi memor,  
vidensque se ab imminenti æternæ perditionis  
supplicio præservatum, inquit, *Psal. xcii, 17: Nisi  
quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in  
inferno anima mea.* Et alibi, *Psal. lxx, 20: De  
abyssis terræ, iterum reduxisti me.* Quia quando  
animam suam adulterio coinquinaverat, jam de  
facto, uno quasi pede in inferno constitutus erat,  
unde illum Deus eripuit potentis et efficacis gratiæ  
manum ei porrigendo. « Ego te offendebam, »  
inquit S. Augustinus, in *Sobrio*, xviii, « et tu me  
« defendebas; inimico meo me exhibebam, et tu  
« ipsum ne me arriperet, deterrebas. Quoties ego  
« peccavi, et ille stabat paratus ut me raperet? »  
S. Bonaventura, fidelem quamdam animam his  
verbis alloquitur: « Heu quanto tempore te in  
« peccatis tuis toleravit; et quot et quantos ante  
« tuam conversionem, in peccatis damnavit; et te  
« semper peccantem misericorditer expectavit? »  
Opera prelium est et hæc verba S. Augustini, *lib.  
de diligendo Deo*, x, adducere: « A multis periculis  
« me liberasti; me deviantem reduxisti, ignarum  
« docuisti; dum peccarem ad penitentiam expectasti;  
« tasti, prostratum erexisti, et ad te venientem  
« largissima pietate sua suscepisti. »

« Chirurgus expertus, ad membrum aliquod  
a corpore detrahendum se non resolvit, nisi quando  
membrum corruptum, irreparabile reliquo corpori  
sano damnum inferre cognoscit; eodem modo,  
coelestis noster Protomedicus, ad detrahendam  
impia vitam, se non præcipitanter resolvit, sed ad  
tempus aliquod eisdem tolerat; quamdiu scilicet  
notabile electis suis damnum non inferunt. « Deus  
« non ad executionem sententiæ currit, non festinat  
« irasci; sustinet, dissimulat, expectat. Non quidem  
« pius Deus irascitur per singulos dies. Unde *Sap.  
« xi: Misericors omnium Domine, quoniam omnia  
« a potes, et dissimulas peccata hominum propter pa-  
« nitentiam; et revera illud dicere possumus, *Th.  
« iii: Misericordie Domini quia non sumus con-  
« sumpti,* » dicit S. Bernardinus Senensis.*

## VERSUS 30.

*Sinite utraque crescere usque ad messem, et in  
tempore messis dicam messoribus: Colligite pri-  
mum zizania et alligate ea in fasciculos ad  
comburendum, triticum autem congregate in hor-  
reum meum.*

*Sinite utraque crescere usque ad messem.*

1. — S. Anselmus, in *Math.*, dicit, quod hisce  
verbis, « commendare voluit longanimitatem, »  
idemque confirmat Hugo Cardinalis, dum ait:  
« Ecce longanimitas, quæ est in expectando. »  
Quod si Deus homini subito post commissum peccatum,  
filium vite ejus præscinderet, isque vulgaris et  
communis divinæ justitiæ stylus esset, quomodo  
penitentia, quæ pietatis et misericordie divinæ  
partus est, locum habere posset. « Alioquin clemen-  
« tissimus Dominus, » inquit S. Paschasius, *lib. VII  
in Math.*, « nisi hoc juberet, videretur tollere  
« penitentiam; » prout ad hanc parabolam allu-  
dens, sequentibus verbis optime declarat, dum ait:  
« Potest fieri, quod hodie zizania videtur, cras tri-  
« ticum fiat. » Et hanc quoque rationem, cur  
Paterfamilias zizania simul cum tritico in agro  
relinqui voluerit, S. Bonaventura attingit, dum  
ait: « Malos tolerat propter eorum correctionem et  
« propter honorum exercitationem et associatio-  
« nem; » sæpe enim fit, quod perversi propter  
intercessionem et bonum exemplum bonorum resi-  
piscant et ad penitentiam redeant. Paulus de  
Palatio peccatores ad hoc invitat, ut agnoscat,  
quod si nonnunquam ad proportionem meritorum  
suorum non subito castigantur, ipsam gratam  
mente, justorum meritis attribuant, inter quos  
commixti vivunt: « Bonorum siquidem gratia,  
« Angeli non eradicant malos, cur ergo contra  
« bonos mali deserviunt? » Jansenius, *ibid.*, quoque  
ita scribit: « Elsi indigni sint justorum societate,  
« tamen propter eorum bonum, sinendi sunt in  
« congregatione eorum; » siquidem juxta tritam  
illam S. Augustini sententiam: « Omnis malus aut  
« ideo vivit, ut corrigatur, aut per eum bonus  
« exerceatur. » Hugo Cardinalis aliam considerat  
utilitatem; quæ e contra in electos resultat, dum  
ait: « Ordinate Deo fit quedam mirabilis transla-  
« tio, ut electorum peccata transeant ad detrimenta  
« et confusionem reproborum, et reproborum bona  
« transeant ad honorem et gloriam electorum. »

2. — S. Chrysostomus, *Hom. XLVII, in Math.*,  
ideo Christum zizania cum bono semine tritici  
commixta relinqui voluisse sentit, ut hoc in suo  
augmento tanto magis stabiliretur et radicaretur:  
« Interim non evelli zizania, redit in beneficium  
« tritici et ex pugna cum illis, victoria gloriosior  
« elicitur, » alludit nimirum ad fidei nostre adver-

sus hæreticos obtentas gloriosas victorias, « et dog-  
« matum fidei traditio clarior. »

3. — Aliud quoque super hæc verba ponderari  
potest, per Glossam adductum motivum, in eo  
præcipue, quod jam de zizania diximus, fundatam,  
nimirum quod quoadusque ambo, triticum scilicet  
et lolium, in herba sunt, modicam oculis inter  
utrumque agnoscere possit differentiam: « Ita  
« monet Dominus, ne de ambiguo judicemus, quod  
« Dominus in die judicii non suspiciose, sed mani-  
« feste damnabit. » Ideo etiam S. Paulus, *I Cor.*,  
iv, 5, monet: *Nolite ante tempus judicare, quoad-  
usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita  
tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Et Chry-  
sostomus, *ibid.*, dicit: « Debent, qui zelo utuntur  
« et ipsi iudicis Dei acquiescere. »

*Usque ad messem.*

4. — Idem Chrysostomus dicit: « Messum vocat  
« consumptionem mundi. » In hac messe, plenum  
fel de meritis justorum et electorum discrimen et  
castigabuntur demerita impiorum; interim vero  
locum habet, inquit S. Doctor, illa sententia, *Apoc.*,  
xiii, 11: *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus  
est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur  
adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.*

*In tempore messis dicam messoribus: Colligite  
primum zizania.*

5. — Lyranus, *ibid.*, dicit: « In tempore messis,  
« id est, iudicii, dicam messoribus, id est, Angelis. »  
Chrysostomus, *Hom. XLVII in Math.*, dicit, quod  
zizaniis quidem parcendum erit, quoadusque in  
agro cum tritico simul permixta stabant, non vero  
in tempore messis, indeque hanc deducit moralita-  
tem: « Parcendum esse zizaniis, quousque una  
« cum frumentis, in agro sunt, quia possunt in  
« frumenti statum commutari; » siquidem homo  
quoadusque vivit, respicere et ponere potest:  
« Si vero nihil hac longanimitate Domini lucra-  
« buntur, tunc inevitabilis pena necessario eos  
« suscipiet. »

*Messoribus.*

6. — Chrysostomus, *ibid.*, eidem jam datæ expo-  
sitioni adherendo, per hosce messorum, Angelos  
intelligendos esse dicit: « Sicut ministrant nobis in  
« procuranda nostra salute, ita etiam in remunerati-  
« one accipiendi et in malos ac reprobos divini  
« iudicii sententiam exequentur. »

7. — Considerabilis quoque nec mysterio vacans,  
ordo est, quem hic sapiens et prudens Paterfamilias  
dedit, scilicet ut mala herba ista, semen diaboli in  
fasciis colligaretur; simulque finem declaravit,  
nimirum ad comburendum, id est, ad reponendum  
illud in ejusdem Domini granario, qui illam semina-  
verat, totum enim hoc redundabat in majorem  
consolationem et gaudium frumenti: *Lætabitur*

*justus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in  
sanguine peccatorum. Psal. lxxi, 11.* Vult enim Deus,  
ut tandem cognoscamus, intentam esse divinam  
justitiam ad præmiandum justos et castigandum  
impios.

*Alligat eam in fasciculos ad comburendum.*

8. — Theophylactus, *ibid.*, vocem *alligat*, pon-  
derans, dicit: « Non enim tunc ultra quis operari  
« poterit, sed omnis operandi vis ligabitur. » S.  
Bonaventura postquam exposuisset verbum: *Colligite*,  
aliam quamdam verbi *alligat* interpretationem  
addidit, dum ait: « Colliguntur perversi per  
« separationem a bonis; alligantur per conjunctio-  
« nem in penis. »

9. — Porro pro hisce fasciulis alligatis expo-  
nendis, varias invenio explicationes. Porro S. Augustinus  
querit, cur Paterfamilias non præceperit, ut  
omnia illa zizania in unam struem componerentur,  
vel in unum tantum fasciculum et responderet:  
« Propter varietatem hæreticorum, non solum a  
« tritico, sed etiam a seipsis discrepantium. »

10. — Euthymius dicit: « Ostendit sermo, quod  
« qui in eodem peccato communicant, etiam in  
« supplicio communicati sunt eodem, simulque  
« ultionem sustinebunt. » Nimirum dominus sceleratus  
cum servis suis in unum fasciculum colliga-  
buntur, si hi ad comparandum sibi ipsius gratiam,  
eum fuerint in sceleribus imitati, aut adulatorum  
ipsius exstiterint. Advocatus ille simul ad infernum  
condemnabitur, cum tali vel tali iudice, qui se  
seduci permisit, una cum cliente, notario et  
falsis testibus, etc. S. Augustinus, *Serm. xxxviii, de  
div.*, dicit: « Ligat in fasciulos, hoc est, rapaces  
« cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicati-  
« ores cum fornicatoribus, » et sic consequenter de  
omnibus aliis, qui in eisdem criminum excessibus  
communicant. Paulus de Palatio, in *Math.*, dicit:  
« Nullus erit regum aut servorum ordo, sed eorum  
« confusio et horror sempiternus. » S. Gregorius,  
*lib. IX Mor.*, xxxvi, super illa verba Jobi: *Ubi nullus  
ordo, ita scribit: « Fasciulos ad comburendum  
« ligare, est hos, qui eterno igni tradendi sunt,  
« pares paribus sociare, ut quos simili culpa  
« inquinat, par etiam pena constingat. »*

*Triticum autem congregat in horreum meum.*

11. — Quod si quaeras, cur electi potius tritico,  
quam alteri bladorum generi assimilentur, respon-  
deri potest, quod S. Thomas in proposito de specie  
sacramentalibus scribit, quas sapientia in-  
carnata instituit sub accidentibus non cujuslibet  
panis, sed panis tritici: « Ex hoc, quod Dominus  
« dicit se granum frumenti, habet Ecclesia, quod  
« sub nulla alia specie consecrat corpus Christi. »  
Christus caput est omnium electorum: *Quos prædes-  
tinavit conformes fieri imagini Filii sui, Rom.*, vii, 29.

Et ideo si ipsi nomen frumenti vel tritici attribuitur, quid mirum, si eodem quoque nomine electos honoret? et tanto quidem amplius, cum, ut idem Angelicus Doctor asserit, hoc granum inter omnia alia nobilissimum, mundissimum et purissimum existat: « Granum tritici est maxime parum, quia « hæc species sola inter alias attingit complementum. » In eodem quoque capitulo idem S. Doctor frumentum sive triticum considerat, sive ut in agro, sive ut in arca, sive ut in granario constitutum: « Similiter inter fideles, tres differentiae sunt, incipientium, proficientium et perfectorum. »

**12.** — Cur autem Paradiso granarii nomen adscribatur, ratio hæc assignari poterit, quia in hoc frumentum, et messis in securo consistit, et ab injuriis temporum, animalium et latronum libera, ita quoque ut S. Bernardus, *Serm. xxxii, in Cant.*, scribit: « Tuta habitatio Paradisus, » hic nullum serpens aditum habere potest: *Jam non erit altissima neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Granum priusquam post messem esset in securo positum, sultus terram emarcuit, tot fuit gelu, ardorem solarium, ventorum, pluviarumque injuriis expositum; deinde fuit nodosis fistibus percussus, ut o palea excuteretur; ac proinde quenam inveniri posset melior justorum comparatio, quam dum grano comparantur? Lyranus, *ibid.*, de justis per eos et in persona Christi loquitur, dum ait: « Vide triticum, id est, fideles in arca hujus mundi, « mihi contritos et flagellatos. » S. Anselmus, *ibid.*, per hoc granum in granario simul accumulatum, unitatem fidelium et electorum intelligit, dicens: « Sic est intelligendum, ut punitis illis, qui diversitates et schismata secuti sunt, in celeste horreo recipiantur et servantur, qui charitatis unitatem amaverunt. » Eusebius Emisenus, *Hom. v de Pascha*, dicit, quod panis, qui fit ex multis granis, in unam farinae massam simul redactis, fidelium unitas significatur: « Sicut enim frumentum, quod « solita purgantis sollicitudine preparatum in eandem speciem molarum labore perficitur, ac per « aquam et per ignem, in unius panis substantiam « congregatur; sic variae gentes, diversaque nationes in unam fidem convenientes, unum de se « Christi corpus efficiunt. » Illi igitur pariter congregati, celestis illius granarii frumentum sunt, quod appellatur: *Frumentum electorum.*

**13.** — S. Thomas, in *Matth.*, zizania colligata fuisse observat. « Notate, » inquit, « quod zizania « colligata fuerint, ideoque non fuere excussa, triticum vere fuit excussum, et hoc significat, quod « mali cum suis inquinamentis in infernum mittentur, sed boni penitus erunt purgati. »

**14.** — Borengosus Abbas de laudibus sanctæ Crucis tractans, ad propositum hujus parabole ita scribit: « Nisi ad promerendum eternitatis regnum, « de zizanis vitiorum faciamus nobis fasciculos ad

« comburendum, nequaquam illo boni operis manipulo pervenimus ad Deum, de quo scriptum « est: *Triticum autem congregate in horreum meum.* »

#### Additiones.

**a.** — *Sinite utraque crescere usque ad messem, etc.* Periculosum est, Domine, imo temerarium, tempus expectare messis: suffocabunt enim zizania triticum, aut ipse inimicus ultiores nequitiæ vires in electam frumentum exerebit, utpote insatiabili nocendi cupiditate armatus, ut patiens Job expertus est. Itane sponte peribit, quod residuum manet triticum? Absit; prudentis enim Patrisfamilias vigilantia ab ulteriori ruina triticum preservabit, neque ultra nocere permittit. Pulchre hoc similitudine vasorum figuli exponit S. Ephrem: « Si figulus « vasa sua igne excoquit, eo usque dum rite « coquantur, nec ante ea eximit, ne minus cocta, « et solida sint; rursus ulterius ea non sinit in « igne, ne aduratur, flantque inutilia. Multo magis « idem faciet Deus, ut igne tentationum eo usque « nos coquat, dum percoquat, et perficiat; ulterius « vero aduri et consumi non sinit. » Ergo ne animam despondeas, nam sævior tentationis acerbitas liberationem spondet, et gravius periculum, periculi effugium est. Deus non permittit demonem prevalere, et superiorem esse nostris viribus, communicando nobis auxilia, quibus ei resistere valeamus.

**b.** — Antequam frumentum horreo inferatur, prius in area expurgatur, et palea in aerem projectum ventilatur; ita antequam in horreo Sanctorum inferatur justus, palea tentationis in area mundi necesse est, purificetur. Ad hoc enim servantur tentationes, ut profectu utiles sint, ac virtutes exerceant, et perficiant. Quale damnum illud quod cribrum affert frumento? Imo quale non confert ei emolumentum, dum illud mandat, a sordibus purgat? Esto illud conceat, agit, vertat, et invertat, in altum projiciat, ac saltitare faciat: lotus hic motus ad hunc ordinatus est finem ut melioretur, in granario reponatur, conservetur, et non perdat. *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum,* dicit Dominus, *Luce, xxi, 31.* Omnis generis nobis molitur insidias; cunctas suas movet machinas, ut in peccatum nos agat precipites; cunctos suos tendit laqueos, exponit retia, ut nos capiat; instar cribri pluribus modis nos conceat, disceat, percuit, impellit multis assultibus; at quod ex cribro cadit nihil aliud est, quam pulvis, terra sordisque similes; frumentum vero intus remanet: *Triticum autem congregate in horreum meum.*

**c.** — Visis zizaniis maxime dolent servi; et utpote fideles, statim ad Dominum conveniunt, totam rei eventum annuntiantes, et se paratos ostendunt ad ea colligenda: *Vis imus, et colligimus ea?* et tamen executionem ea amputandi ipsis non committit, sed messoribus, ait enim: *Dicam messoribus, id est, non*

meis domesticis, sed veluti extraneis et alienis; sciens a domesticis suis, scilicet Angelis, alienum esse punire, et inferre etiam malis supplicia. Nam licet nostram reprobationem prævideant, nunquam tamen nos deserere probatur, imo inviti sunt ad inferendum nobis supplicia et penas. S. Thomas de Villanova valde miratur ingentem illam spirituum beatorum curam et sollicitudinem, qua cum nobis inserviunt, animasque a divina providentia illis commissas custodiunt, tametsi etiam per manifestas conjecturas, illas ex ipsorum custodia nihil utilitatis reportaturas esse prævideant: « Non « tamen propter hoc desistant ab earum custodia, « sed eas protegant et instruunt, quantum divino « nutu eis permittitur, scientes quia potens est « Deus, de lapidibus istis suscitare filios, non solum « Abrahae, sed Dei. »

**d.** — Optime cælum sub symbolo horrei adumbratur, sicut enim triticum in horreo congregatum, jam ab omnibus aeris tempestatibus est liberum, atque securum, sic quoque justus, qui per triticum significatur, in æterna beatitudine, ab omnibus miseriis, periculis, penis, culpis, aliisque hujus vite laboribus immunes erunt. Et ideo beati letantur, quod portum secure tenentes, tempestates, quales sunt ignis, securo, nix, glacies, evaserint inferni. Tuta habitatio Paradisi, « ubi non erit « hostis impugnans, » dicit Augustinus, *XXII de Civ. Dei, xxx,* « nec ulla illecebra, sed summa et « certa securitas, secunda tranquillitas, tranquilla « jucunditas, jucunda felicitas. » De illa namque civitate, ejusque prerogativis ibi scribens, ait: « Ab omni malo liberata, et impleta omni bono, « fruens indeficienter æternorum jucunditate gaudeat diorum, oblita vulparum, oblita penarum. » Richardus de S. Victore ita loquitur: « Quanto « reminiscuntur periculorum, et miseriæ quam « evaserunt, tanto exultantes dicunt: *Torrentem « pertransivit anima nostra, aquam intolerabilem; et « laudantes Deum subjungunt: Benedictus Dominus, « qui non dedit nos in captivum dentibus eorum, « scilicet demonum, de laqueo quorum venantium « animæ eorum ereptæ sunt, et contritus est « laqueus, quia cessavit tentatio. »*

**e.** — Certe qui nunc triticum bonorum operum

congregare elaborat, habet paratum a Deo granarium, in quo illud sibi ad æternam in gloria sustentationem asservetur. Est enim celestis Paradisus, pro nobis conditus, utpote ad celestem gloriam possidendam creatis, ideoque nos Deus ad hanc possidendam invitat, licet nos illam inertes negligamus. « Creator noster prius cælum extendit, « postea et terram substernit, » dicit S. Chrysostomus; idque non solum ad hoc ut cælum sine terra subsistere posse intelligamus, verum etiam ut primo omnium loco oculum et cor nostrum ad celestem Paradisum, tanquam ad domum et habitationem pro nobis fabricatam, dirigendum esse sciamus; siquidem terra nobis velut exilium, via, et iter quoddam ad supernam patriam possidendam, assignata fuit. Unde Iudex ille supremus ad electos suos dicturus est: *Posseditis paratum vobis regnum a constitutione mundi.* *Matth., xxv, 34.*

**f.** — Tempus messis dies est judicii, et tunc postquam omnia fuerint demessa, dicit Dominus: Separate zizania et ante omnia alligate ea in fasciculos. Zizania utpote damnata non excutiantur, nec a paleis separantur, sed simul cum illis, scilicet iniqui cum suis peccatis, in fasciculos ad comburendum alligantur, ut æterna ignis infernalis sustineant supplicia.

**g.** — Celestis Magister noster de damnatis sub zizaniorum metaphora disserens, Angelis suis se præcepisse ait: *Alligate in fasciculos ad comburendum.* Circa quæ verba, Hugo Cardinalis, ex S. Isidoro inquit: « Similis culpæ reos consimilis eruditio constriquet, non vero in unum fascem, « quia pro modo perversitatis suæ unusquisque « punietur. » S. Bernardus, *Serm. xviii extraordinarius*, de hisce fascibus in ignem conjiciendis, eandem pariter habet considerationem dum inquit: « Nota « hilter dicit fasciculum, sicut enim habetur, quod « resurgit unusquisque in suo ordine, et sic nunc « præmiantur, sicut Apostoli in suo ordine, scilicet « Apostolorum, martyres, in ordine martyrum; ita « omnes peccatores qui erunt infecti uno genere « peccati, erunt uno constructi, nam de omnibus « usurarius fiet unus fasciculum, de omnibus adultis, etc. »